



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1682. usque ad annum 1690

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1781**

**VD18 90119231**

§. 19. Laurentius Imperialis Cardinalis hoc anno mortuus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67608)

Sæc. XVII.

A. C. 1686.

§. XIX.

*Laurentius Imperialis Cardinalis hoc  
anno mortuus.*

*Priorat. in  
Hist. Card.  
Old. in ad-  
dit. ad Cia-  
con.*

Postremus ex Cardinalibus hoc anno decessit Laurentius Imperialis Patricius Genuensis, qui emenso studiorum curriculo Romæ Præfularem vestem indutus, Bononiensem legationem obiit, ac regendis Fano & Asculo urbibus præfectus, ab Urbano VIII. ad Pontem Lagi - Scuri Pontificii exercitus Dux eligebatur: postea pace confecta Romam reversus, ac variis muneribus auctus, Firmanos cives, qui arma contra Gubernatorem sumplerant, moderata severitate ad obsequium revocavit, summam propterea apud omnes prudentiæ æquitatisque laudem promeritus: quocirca præter Romanæ Urbis Gubernium insuper ab Innocentio X. in gratitudinis signum Romanam Purpuram, & variarum Congregationum Præfecturam obtinuit: Decorabatur etiam Ferrariensi legatione, qua rite functus, denuo Urbis Gubernium non sine Romani populi applausu suscepit, quo durante cum inter milites Corsos, & Gallici Oratoris Domesticos, uti retulimus, tumultus fuisset excitatus, hæcque discordia a malevolis ipsi impu-

Sæc. XVII.  
A. C. 1686.

imputaretur, renuntiato gubernio Roma excessit, ac Genuam profectus, submissis admodum literis apud Regem imputatam culpam deprecatus est: quoniam vero Ludovicus Rex hac submissione nondum placatus esset, & Genuenses ob Cardinalis præsentiam graviora sibi metuerent, quantocius relicta Genua Cararam, & inde Luccam citatissimis equis profugit, postmodum ipse recta in Franciam iter arripuit, ut Regem de totius rei serie certiore redderet, a quo tamen non nisi post compositas cum Alexandro VII. controversias admissus, tandem sincera rei enarratione tantum effecit, ut Rex saniora edoctus, tam viva voce, quam literis ad Genuenses datis, se antea minus integra fide fuisse informatum testaretur, & Cardinalem ad se invitatum cum singulari existimationis testimonio ac clementia dimitteret. Postea ad urbem gloriose reversus, mox a Clemente IX. supremus Inquisitor nominatus, & gravioribus sacræ Sedis negotiis adhibitus, relicta magna sui nominis fama tandem Romæ vita functus est, anno ætatis suæ septuagesimo quarto.

§. XX.